



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Exorcismorum

Eynatten, Maximilien de

Antverpiae, 1626

Remedia spiritualia contra Succubos & Incubos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40734

230 MANVALIS EXORCISMORVM
cismos & Preces superius positas sapius reiterari
curabunt; quibus poterit Sacerdos, si ei visum
fuerit, alias adiungere ex supra positis pro infir-
mis. Cauebit autem Sacerdos diligenter, ne per-
mittat illum errorem & rei sacrae abusum, qui ho-
die in nonnullis locis vigere dicitur, quo aliqui
tali maleficio vexatis succurri posse putant, si vir
& mulier priori Matrimonio, legitimè & in fa-
cie Ecclesie cōtracto, mutuo consensu renuntient,
& nouum coram Sacerdote contrahant. Est enim
hoc diabolicum inuentum superstitionis inducen-
da causa, vel ut res sacras hominibus ludibrio
exponat, & Sacramento Christi grauem irroget
iniuriam, cūm dicat Christus Matth. 19. Quod
Deus coniunxit, homo non separet. Denique,
huiusmodi afflicti consulunt etiam Medicos, si
fortè impedimentum ipsorum prouenerit à ma-
la corporum complexione, & humorum peccan-
tium abundantia. Quae medicina etiam possunt
indirectè prodesse huic malo, etiam quando per
diabolum introductum est.

Remedia spiritualia contra Succu- bos & Incubos.

DÆMONES incubos & succubos ho-
minibus infestos, ex D. Augustino li-
bro 15. de Ciuit. cap. 23. & aliis Patri-
bus cognoscimus: verumtamen non fa-
cile in similibus omnibus fides adhibenda, praci-
pue femineo sexui, mirabiliū formarum in ima-
gina-

ginatione susceptiuo. Proinde Exorcista, vel curā animarum habens, examinabit hæc prudēter cum Medicis & Theologis peritioribus. Si cōstet probabiliter aliquem dicto modo vexari contra voluntatem suam, adhibebit remedia & Exorcismos suprā in tertia Parte, contra maleficia quibus homines solēt in propriis corporibus affligi, positos. Confiteatur sacramentaliter frequenter summa qua poterit animi contritione, præmuniat se sacra Communionem, in precibus sit assiduus: inter omnes preces sæpius legat Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam, his enim multos ab hac vexatione liberatos constat variis exemplis. Alia denique adhibeat, quæ superius præscripta sunt contra ligaturas, philtrea, &c.

Volunt aliqui loci mutationem contra hoc malum aliquid posse: potiùs dormitorium & lectus afflicti sæpè benedicenda ordinariis Ecclesiæ benedictionibus. Videat etiam prudens Exorcista, utrùm hæc afflictio nõ infligatur à Deo aliquando feminis, ob nimiam curiositatem in vestibus, ornatu crinium, & similibus, quibus, non contenta naturali sua pulchritudine, variis fucis & mediis studet allicere viros in sui amorem. Quo fit, Deo permittente, ut fiant ludibrio demonibus, quæ nimium in sua glorientur pulchritudine. Tales adducenda ad compunctionem peccatorum suorum, & emendationem vite qua in posterum ab huiusmodi laqueis abstineant, & se componant ad modestiam, humilitatem, & verecundiam decentem.

Præter prædicta possunt contra hanc vexationem, quæ valdè abominabilis est, etiam applicari Exorcismi secundæ Partis huius Manualis, cum sit quadam species obsessionis, vel ei valdè affinis infestatio.

Modus exorcizandi circa quæuis animalia per maleficia & veneficia afflicta.

IN PRIMIS attendendum an fortè ex causis naturalibus animalia ægrotent, utpote ex deuoratis araneis sese pabulo ingerentibus, aut aliorum venenatorum animalculorum morfu, ex aère præ stabulorum immunditia vitiato, à bufonibus aliisque serpentibus, qui sæpè dum lac exungunt, vbera ledunt.

In iuuandis brutis animalibus maleficiatis, procedet Exorcista simili ferè modo et antè: nempe exhortâdo in primis patrem & matrem familias, omnesq; domesticos ad seriam pœnitentiam & vitæ emendationem: ut cum vera cordis humilitate & spiritus contritione ad Deum conuersi, agnoscant damna hæc ipsis immitti à bono iustiq; Deo propter peccata, inter quæ numeranda sunt iuramenta & execrationes animalium, ad correctionem & probationem ipsorum.

Quocircà peccatorum suorum per bonam & salu-